

Quod vero ait Dr. Reinkens auctoritatem civilem esse quoque moralem et religiosam eo quod sit immediate a Deo iuxta Paulum ad Rom. XIII, 1-8; ommissa nunc interpretatione paulini textus de qua alibi dicendum erit, satis est advertere quod non est consequens potestatem esse religiosam ex eo quod est a Deo immediate; et quod aliud est religione obligari homines ad obedientiam erga eam auctoritatem, aliud ipsam posse leges ferre religiosas.

**Corollarium.** Ergo cum in Ecclesia sit certa potestas a Deo constituta, et potestas haec sufficiens sibi debeat esse pro regimine societatis: et Ecclesia sit societas hominum visibilis ac perfecta, ideoque postulet regimen necessarium ordini et tranquillitati in ipsa tuenda; potestas autem pro regimine necessario societatis sit potestas iurisdictionis, h.e. potestas coactiva ferendi leges, iudicandi et puniendi, talis potestas asserenda est Ecclesiae; quod uberius declarandum et demonstrandum est in §. seq.

§. XIX.

*Potestas ecclesiastica est iure divino potestas iurisdictionis vere coactiva.*

1. Marsilius Patavinus in *Defensorio pacis* p. II c. 4. seqq. docet Romanum aut quemlibet alium episcopum sive presbyterum vel clericum virtute verborum Scripturae nullum coactivum principatum seu iurisdictionem contentiosam supra quempiam clericum vel laicum sibi vindicare posse, et omnes Episcopos ipsumque Romanum Pontificem subesse debere coactivo iudicio sive principatui dominantis auctoritatis legislatoris humani praesertim fidelis. Doctores proinde esse in Ecclesia qui doceant quid agendum, esse et penes eos auctoritatem in foro interno declarandi remissa esse peccata, et commutandi poenas alterius vitae cum poenis huius vitae: neminem vero esse qui urgere possit observantiam legis, nullum esse iudicem coactiva potestate praeditum in causis transgressionum legis evangelicae praeter Christum, qui tamen non in hoc seculo sed in altero iudicium sibi reservavit. Si vero princeps secularis legem aliquam evangelicam auctoritate sua sanxerit, is ad eius observantiam cogere et iudicium coactivum de ea instituere potest; vel etiam Ecclesia id potest, sed ex concessione principis secularis, usa eius auctoritate. Idem docet M. Antonius de Dominis *de Republica ecclesiastica* L. V. seqq. Pariter Richerius in opere *de ecclesiastica et politica potestate* cc. 11. 12 docet quod cum Ecclesia neque territorium, neque ius gladii habeat a Christo, et ad finem supernaturalem tantum instituta sit, de mediis necessariis ad salutem suasive tantum et directive non

coactive poenas temporales irrogando iudicat. Sed princeps politicus, ut Dominus reipublicae ac territorii, vindex est atque protector legis divinae, naturalis et canonicae: quare in eum finem leges figere et gladium distringere potest.

Febronius qui Romano Pontifici Primatum quidem directionis concedit, negat vero iurisdictionis, hinc potestatem quoque coactivam detrectat. Ita sentit et Eybel (ut refert Pius VI in Brevi « Super Soliditate » quo opus eius proscripsit tanquam continens propositiones respective falsas, temerarias etc. inducentes in haeresim, haereticas) « vim nempe Primatus hac una praerogativa contineri supplicandae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo. »

Eosdem instauravit errores Ioannes Nepomucenus Nuytz in Institutionibus iuris ecclesiastici, et in tractationibus in ius ecclesiasticum universum; quae opera damnavit Pius IX Brevi « ad Apostolicam » 22 Augusti 1851. Docuit nimirum Nuytz « Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. »

Hinc Ioannes XXII (Constitutione data 28 Octobris 1327 penes Raynaldum) hanc propositionem quintam inter quinque Marsilii prosriptas ut haereticas, damnavit « quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva nisi concedat hoc imperator. » Item Pius VI sic confixit propositionem 4<sup>a</sup> Synodi Pistoriensis: « Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde, tum etiam, multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis; quatenus indeterminatis illis verbis extendendo ad res exteriores notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriori constituenda et sancienda: haeretica. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione: quatenus intendit Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio, ac salubribus poenis coercendi atque cogendi ex Bened. XIV in Brevi « Ad assiduas » anni MDCCLV Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis Regni Poloniae: inducens in systema alias damnatum ut haeticum. » In literis encyclicis SS. Pii IX « Quanta cura, » inter prava ac toties damnata novatorum commenta, illud enumeratur: quod Apostolicae Sedi denegat omnia iura circa*

ea quae ad exteriorem ordinem pertinent, statuitque Ecclesiae leges non obligare in conscientia nisi cum promulgantur a civili potestate: item Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; et illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura: qui omnes errores cum pluribus aliis reprobantur, proscribuntur, et damnantur.

II. Itaque probandum est coactivam esse potestatem Ecclesiae, ac iure divino esse talem. Iam vero potestatem coactivam plene spectatam dicimus eam quae haec tria simul habet: scilicet 1) legibus latis obligat aliorum liberas voluntates, ut his non sit licitum agere contra legem: 2) iudicia instituere potest circa actiones subditorum, sententiamque ferre in invitos, qua iidem obligentur: 3) leges latis sancire potest statutis poenis nedum spiritualibus, sed et corporalibus, ad easque contumaces vel invitos obligare, atque ipsas inferre potest. Obligatio invito imponi, et poena in invitum ferri dicitur cum independentem ab eius consensu, velit ipse nolit, obnoxius est obligationi, poenamque reapse patitur quam potestas vindicativa decrevit. Vis coactiva potestatis profecto non in eo est tantum quod physice cogere possit et cogat, nam et hoc latrones facere possunt, sed id ex essentia sua requirit ut invitis obligationem imponat ad aliquid faciendum aut omittendum, atque obligationem ad poenam aliquam proportionatam crimini, atque hanc invitis inferat. Sic probat Ioannes XXII in Constit. citata Petro factam esse potestatem coactivam illis verbis: *quodcumque ligaveris* etc. inquires: « ligantur enim non solum voluntarii, sed inviti. » Quod vero spectat ad poenas quoque corporales, licet per se essentia potestatis coactivae concipi adhuc possit si vere suis legibus et sententiis obligationem moralem imponat, poenisque solis spiritualibus suas leges et sententias sanciat; attamen facile dabitur potestatem coactivam in societate humana carentem vi inferendi corporalem coactionem esse imperfectam; perfectam vero esse si hanc vim habeat coactivam. Porro hoc pacto perfectam defendimus esse potestatem Ecclesiae, eamque omnes Catholici intelligunt cum dicunt *potestatem iurisdictionis*. Verum claritatis gratia distinguimus duo: 1° potestatem ferendi leges obligantes in conscientia, ferendi pariter sententias iudiciales in conscientia obligantes ac potestatem poenas inferendi saltem spirituales: 2° potestatem ferendi huiusmodi leges ac sententias circa res quoque exteriores et temporales, ac infligendi poenas etiam corporales; ab hoc altero enim magis abhorrent adversarii.

Primum demonstramus primo ex verbis Christi. Petro enim et Apostolis facta est a Christo potestas ligandi et solvendi, eademque universalis, quoad omnia scilicet quae ad hoc regnum Dei quod est Ecclesia spectant, atque divinitus efficax: *quaecumque*, ait (Matth. XVIII. 19), *alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelis*. Iam vero vis huius phrasos compositae *ligare et solvere* significabat certe aetate Christi exercitium eius potestatis quae in aliquo regno suprema est (Cf. quae afferemus in Th. I). Et sane actio ligandi et solvendi vinculum aliquod supponit quod iniicitur vel detrahitur. Non est autem sermo de vinculis physicis sive catenis, sed de vinculis moralibus. Porro morale vinculum quo homo ligari, et a quo solvi potest, triplex est: vinculum legis, vinculum culpae, vinculum poenae. Quoad vinculum legis et poenae potest quis ab alio solvi et ligari; at quoad vinculum culpae potest quis ab alio solvi, sed directe ipse solus se ligare potest, indirecte vero et ab alio quatenus ab eo, qui solvendi potestatem habet, ei negatur solutio. Porro cum verba Christi universalissime pateant (*quaecumque*), potestas fit Apostolis cuiuslibet moralis vinculi in societate christiana iniiciendi et solvendi, potestas proinde ferendi leges easque abrogandi, potestas sententias iudiciales ferendi, poenasque irrogandi et remittendi: quae quidem potestas vim habet efficacissimam obligandi; nam quae solvunt aut ligant Apostoli solvit aut ligat Deus: h. e. exercitium eorum auctoritatis prout tale est ratum habetur a Deo qui simul cum illis solvit et ligat. Ergo potestas Ecclesiastica instituta a Christo in Apostolis est potestas iurisdictionis vere coactiva.

Idem ex praxi et doctrina primitivae Ecclesiae demonstrare licet. Et primo quoad vim ferendi leges. Sane in Act. XV, 28 huiusmodi edictum Petrus cum Apostolis ad fideles protulit: « Visum est Spiritui S. et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria, ut abstinere vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agitis. » Porro a) hoc decretum est lex obligans in conscientia, *imponitur enim onus*, resque praecipitur *necessaria* ad bene agendum: et sane quaestio agebatur an obligandi essent fideles ad legem Mosaicam, scilicet an imponendum super cervices discipulorum iugum quod veteres portare non potuerunt, *ibid.* 10; edicitur autem, ceteris oneribus sepositis, hoc tantum subeundum esse; agebatur ergo de lege proprie dicta quemadmodum erat lex Mosaica. Est b) lex nova quae tunc edita primum est; nam Christus id non determinaverat; secus opus non fuisset ut convenirent Apostoli videre de verbo hoc, atque eius mandati mentio facta fuisset in lege: verum ita

res geritur in Concilio ut deliberatio praecedat, habita ratione oeconomiae Christianae, ex qua quid decernendum sit colligitur. Neque huiusmodi decretum ex vetere lege repetendum; nam praemittitur legem veterem quoad haec pro fidelibus non valere. Est ergo decretum novum. Est *c)* lex quoad quaedam certe positiva. Hoc autem decretum *d)* fertur ab Apostolis ex auctoritate ipsis divinitus facta: visum est Spiritui S. et nobis. Ergo Apostolorum potestas fuit potestas coactiva h. e. iubendi, seu leges obligantes in conscientia ferendi. Dices Apostolos non novam auctoritate sua tulisse legem, sed solum proposuisse vel legem naturalem quoad fornicationem et immolata simulacrorum (quae quidem lex exigenda est ad interpretationem Pauli, 1<sup>a</sup> Cor. VIII, 1. seq.), vel positivam Dei quoad alia, legem scilicet promulgatam a Deo ipsi Noe, Gen. IX, 4. quae proinde lex antiquior est lege iudaica, omnesque homines obligabat. Respondeo, omisso quod primo loco dicitur, falsum esse Apostolos solum proposuisse legem Dei latam Noe, docendo quid observandum esset a gentibus ex praecepto Dei, non ipsos legem tulisse. Quod evidenter demonstratur. Nam certum esse debet illa lege Genesis non fuisse obligatos primos Christianos: ratio est quia modo ea lege non tenemur; desiit ergo lex illa post Christum, vel quia ab ipso fuit abrogata, vel quia non fuit lata ex ea intentione ut etiam post Christum duraret: si enim post Christum ea lex mansit, nunc quoque maneret; Ecclesia enim legem Dei, sicut inferior superioris, abrogare non potest. Porro Apostoli id certe noverant quod scit Ecclesia, eam legem post Christum cessasse. At si ita est, nequibant ipsi hoc onus imponere fidelibus ex vi legis divinae, quae non exstabat; sed oportebat eos auctoritate sua vim legis tribuere illi ordinationi: ergo.

III. Potestas autem coercendi per exterius iudicium, quo sententia in invitos feratur, patet ex 1<sup>a</sup> Cor. IV, 18. et V, 3. seq. Ait enim Apostolus: « Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam..... quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?... Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine D. N. I. C. congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. I. C. » Scilicet Paulus *iudicat*, seu sententiam fert decernentem poenam *in reum*: iudicat quidem absens ex notitia delicti accepta non per confessionem liberam rei, sed per famam (auditur inter vos talis fornicatio etc.); adsignificat tamen iudicium huiusmodi *solere fieri in praesentia* (iudicavi ut *praesens*) praesente nimirum iudice et assessoribus eius (congregatis vobis) et reo, utique ut causa per testes cognosceretur, reusque audi-

retur; quam inquisitionem hac vice supplevit fama delicti. Sententia autem ea fertur a Paulo quam reus volens nolens subire debet. Porro his continetur essentia exterioris iudicii coactivi, quod in virga nempe exercetur. Potestas ergo et mos erat in Ecclesia huiusmodi habendi iudicia. Item Paulus 1. Tim. V, 19. monet Episcopum ne accusationem adversus presbyterum recipiat nisi sub duobus aut tribus testibus. Atqui accusatio ad iudicem in foro externo defertur ut sententia feratur: porro *iudice, accusatore, testibus, reo* constituitur *iudicium exterius*, quo sententia in invitos fertur, h. e. coactiva.

IV. Potestas tandem coactiva inferendi poenas demonstratur primum ex modo probatis de potestate legislativa quae sanctionem legum requirit, et ex probatis de exteriori iudicio; iudex enim in foro externo ius habet inferendi poenas et cogendi reum ad eas subeundas; et sane ibi a Paulo poena gravissima decernitur et infligitur, a qua deinceps solvitur 2. Cor. II, 6-8. Tum constat ex verbis Christi Matth. XVIII, 17: « Dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen amen dico vobis: quaecumque alligaveritis etc. »; quibus, praeter cetera, potestas excommunicandi contumaces Ecclesiae asseritur; quae quidem potestas (ait Ioannes XXII, Const. citata n. 33) est utique coactiva; nam inviti excommunicantur. Idem plus semel docet Paulus. Nam loco superius citato mentionem facit *virgae* qua puniuntur mali; et 2<sup>a</sup> Cor. X, 3. seq. ait: « In carne ambulantes non secundum carnem militamus, nam arma militiae nostrae non carnalia (h. e. infirma: liquet ex opposito) sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei... et in promptu habentes *ulcisci* (*εκδικησαι*) omnem inobedientiam »; subdens porro: « si amplius gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in destructionem (*εις οικοδομην, και ουκ εις καταρσειν*) vestram, non erubescam. » Atqui potestas *ulciscendi* omnem inobedientiam est potestas puniendi etiam invitum. Ea porro est potestas quam dicit se accepisse a Domino in aedificationem, et non in destructionem; cuius sententiae sensus, si Patribus graecis Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto credimus (Cf. Petavium Hier. Eccl. L. III. c. 9.) is est, nempe potestatem habere a Deo Apostolum *praecipendi* et *puniendi*, quod vocat ipse *aedificandi* et *destruendi*, ita tamen ut potestas puniendi sive destruendi non per se, ac ex primaria voluntate et intentione Christi sit tradita Apostolo, sed in alterius subsidium, et quasi ex accidenti; quod Apostolus exprimit per negationem; *in aedificationem non in destructionem*, h. e. per se data est potestas ut praecipiat, non ut puniat, nisi per accidens, scilicet si inobedientes sint. Ita

Chrysostomus in h. l. . . « Illud ipsum maxime genus est aedificationis impedimenta tollere... Et ad hoc quidem potestatem accepimus ut aedificemus. Sin autem reluctetur aliquis et pugnet et insanabilis sit, etiam actione utemur altera ut eum destruamus ac deiciamus. » Sane iam prius *de potestate ad destruendum* locutus est; eadem ergo est de qua modo in eodem contextu loquitur: porro dixerat prius se habere *potestatem in destructionem*, sive arma *δυνατα τῆ θεοῦ πρὸς καθαρῆσιν ὀχυρωμάτων* munitionum, quibus nempe se muniunt ii qui se extollunt adversus scientiam Dei; quae sunt proprie illa externa oppositio et resistentia contra quam dirigitur *iudicium criminale et potestas coactiva puniendi* (Taparelli Saggio etc. Dissert. III, c. 6. a. 4). Hanc ergo potestatem simpliciter negare postea non poterat. (Cf. ibid. XIII, 40). (1).

(1) Cum Dionysius Petavius l. c. hunc locum Apostoli retulisset ad probandam Episcoporum iurisdictionem, haec pro more suo reposuit Cl. Salmasius in Apparatu ad libros de Primatu pag. 161-62: « Petavius dogmatum ecclesiasticorum insignis interpres, quae in vita sua nunquam intellexit, ut probet nobis ex eodem Apostolo vel persuadeat potius potestatem iurisdictionemque illam Episcopi, quam ipse hariolatur, gravissimis iisdemque disertissimis verbis ab eo commendari, ad Corinthios ita eum scribere ait 2<sup>a</sup> epist. X, 8: Nam si et amplius etc. Non vidit impurus Dogmatista prae stupore ac caecitate mentis hic loqui Apostolum non de potestate ac iurisdictione Episcopi, sed de ea *ἐξουσία* quae ipsi a Christo tanquam Apostolo data sit. Et sic recte omnes interpretes exponunt, et in primis Hieronymus, cuius ad eum locum haec verba sunt — Nam etsi magis potestatem a Christo accepisse dixerō quam ceteros ut Apostolus non erubescam — Praeterea ita fatuus est hic dogmatum ecclesiasticorum improbus consarcinator et Hierarchiae structor, ut non sentiat ex tota Scriptura sacra non alium locum magis facere contra iurisdictionem et imperium episcopale quam hunc Apostoli, etiamsi accipiendus foret de potestate Episcopi ordinaria, et non de apostolica extraordinaria. Hanc enim potestatem Paulus se accepisse dicit a Christo *non in destructionem sed in aedificationem*, idest non ad coercendum, puniendum, occidendum, sed ad aedificandum, beneficia impertienda et bene cuilibet faciendum. Longe haec ab illa iurisdictione ecclesiastica sive tyrannide potius quam Episcopis tribuunt adversum invitos exercenda, et quae in coercitione inobedientium consistit.... Enim vero si Apostolatus *διακονία* vocatur in Actis Apostolorum, idest ministerium: quis mentis compos episcopatum contendet fuisse imperium et magistratum? » et ita porro. Haec vero recitavimus ut specimen habeatur impudentiae istius haeretici qui nec viris omnium existimatione etiam acatholicorum summis cuiusmodi fuit Petavius parcere didicit. Sed iste superbus haereticus prodidit inscitiam et caecitatem suam in eo ipso quod exprobrat Petavio. Non vidit enim commentarios illos in epistolas Apostoli, ex quibus verba allegavit, non esse Hieronymi, sed haeretici hominis pelagiani aut ipsius Pelagii, quod iam sec. XIII quidam persenserant, et postmodum omnes eruditi noverunt. Nec vidit obesse nihil argumentationi Petavii distinctionem suam inter iurisdictionem extraordinariam Apostolorum et ordinariam Episcoporum. Nam quod spectat ad iurisdictionem, specie non differt sed solum universalitate et amplitudine auctoritas singulorum Apostolorum ab auctoritate singulorum Episcoporum, eademque est prorsus auctoritas totius collegii Apo-

Porro in hoc vinculo poenae, quo ligantur mali, duo distinguenda sunt, nempe ipsa obligatio qua tenetur subditus ad subeundam poenam, et executio eiusdem. Obligatio oritur ex lege, vel sententia iudicis, qua cogitur reus ut sit debitor poenae. Executio vero non uno modo se habet. Si enim poena consistit in privatione boni spiritualis vel iuris alicuius, quod citra ullam adhibitam vim exteriorē perfecte amitti potest, tunc vel nulla executio requiritur, vel executionis locum tenet ipsa lex aut sententia iudicis quae eam privationem inducunt. Huiusmodi est poena excommunicationis. Si autem poena posita sit in aliquo malo quod nisi adhibita aliqua causa physica esse nequit, tunc executio obtinetur per actionem quorundam ministrorum, qui physice cogant reum ad poenam subeundam; cuiusmodi est poena carceris. Eademque actio requiritur ut physice impediatur quis agere contra sententiam poenae dictae superius. Huiusmodi porro actio exercetur per eam, quae dici solet *vis publica*. Rursus distinguendum est inter potestatem iuridicam cogendi, et expeditam facultatem exercendi coactionem. Haec enim deesse potest, quin desit iuridica potestas. Si enim quis reus legitime condemnatus, a territorio principis aufugit, nequit in ipsum exercere suam potestatem Princeps, cuius tamen potestas est vere coactiva.

Iam vero si Ecclesia potest infligere poenas, quibus rei, velint nolint, teneantur, iam hoc ipso potestas coactiva puniendi continetur in potestate Ecclesiae; illud autem posse constat ex demonstratione allata, qua certe probatur aliqua potestas invitos puniendi, saltem quoad poenas positas in privatione bonorum spiritualium, vel certorum iurium, quas rei vel inviti subire debent vix ac sententia lata est. Quamvis enim quis e. g. excommunicatus spernens sententiam iudicis, se gerat veluti non excommunicatus; et depositus pergat violenter in ministerio: attamen vere semper ille est excommunicatus coram Deo et Ecclesia, bonisque iis caret spiritualibus, quibus excommunicatio privat, et qui depositus est, caret reapse iuribus, quae prius habebat, ita ut amplius non possit licite, et valide quoque si de iurisdictione agitur, ministerium exercere. Potestas vero quae bona et iura tollit invitis (et omnes sane eam privationem aegre ferunt) est coactiva. Coactio enim potestatis ex eo per se pendet quod efficaciter vim suam exerat in invitum. Quapropter haec potestas privat bonis, privatio bonorum est malum, et cum sit propter culpam, est poena: privat autem bonis invitos: ergo ea poena est coa-

stolici et totius Episcopatus. Nisi quod hic haereticus negat Episcopos esse successores Apostolorum, et quales modo in Ecclesia existunt, esse ex divina institutione; qua in re bene castigata est eius ignorantia a Petavio. Cetera contumeliae sunt.

ctiva, sive coguntur eam pati rei, et sic potestas est coactiva. Utrum autem haec sola potestas coactiva competat Ecclesiae, an alia quoque quae per vim physicam exercetur, qua violentiae resistitur, qua corporalibus poenis constringuntur et puniuntur rei, id mox disputabimus, de potestate puniendi per poenas corporales speciatim loquentes.

Quod autem hactenus probatum est auctoritate Scripturarum, idem confirmatur auctoritate Traditionis; cuius tamen non est opus nunc testimonia in verbis vel factis posita congerere; est enim omnibus notum Ecclesiam Romanosque Pontifices leges vel canones edidisse quibus fidelium conscientiae obligarentur; iudicia exteriora a Romano Pontifice, aliisque inferioribus Episcopis vel seorsim, vel in synodos collectis habita fuisse, poenasque ut censuras, depositiones, degradationes inflictas passim fuisse pravis et contumacibus: ergo.

V. Sic demonstrato primo membro restat alterum de quo maior est controversia. Quaeritur utrum in potestate Ecclesiae sit ferre leges ac iudiciales sententias circa res exteriores ac temporales, atque poenas corporales infligere. Praesupponendum est quod Ecclesia sit 1° societas religiosa, quod adversarii facile dabunt: et 2° societas perfecta: quod iam demonstratum est: sit 3° societas hominum adunatorum quae proinde iuxta naturam propriam hominum uti debet mediis ad consecutionem sui finis. Indoles enim mediorum quibus a societate obtinetur finis, determinatur quidem obiective a natura finis, sed subiective determinari debet a natura subiecti utentis illis, sunt enim actiones vel res circa quas versantur actiones, haec vero necessario dependent a natura subiecti agentis.

His veluti ἐν τυπῷ praestitutis manifestum est societatem hominum religiosam indigere mediis visibilibus seu exterioribus quibus colligatur, quibus cultus religiosus exhibeatur, ut sunt ritus sacri, altaria, templa, liturgia et huiusmodi: indigere quoque rebus exterioribus quibus praestari possint ea quae ad cultum spectant, ac sustentari personae ad cultum divinum deputatae, ut bona sunt mobilia vel immobilia. Quae licet per se temporalia sint, extrinsece tamen, ratione nempe finis, ad quem ordinantur, evadunt sacra. Iam vero circa haec omnia quae plus minus sacra sunt potestas Ecclesiae se exercere potest ferendo leges et sententias iudiciales. Nam perfecta societas ferre potest leges circa ea omnia quae tanquam media sive simpliciter necessaria sive utilia ad finem suum conducunt; est autem Ecclesia perfecta societas (§. praec.); ergo certe ei competit auctoritas ferendi huiusmodi leges. Qui autem potest ferre leges, potest et sententias iudiciales ferre circa observationes aut violationes legum: ergo et haec vis Ecclesiae competit circa omnia quae

ad finem Ecclesiae conducunt. Cum igitur inter haec sint plures res exteriores et temporales, etiam circa eas potestas legifera et iudicialis Ecclesiae exercenda est.

VI. Ad poenas corporales quod spectat, dicimus poenam corporalem eam, quam secundum corpus patimur, sive quae consistit in privatione honorum sensibilium. Duo quaeruntur: utrum Ecclesia possit huiusmodi poenis scelestos punire; utrum eadem vi extrinseca adhibita possit exsequi punitiones tales. Quoad primum responsio est affirmativa. Etenim huiusmodi potestas competit certe Ecclesiae, si a) ipsa habeat plenam in suo genere potestatem puniendi; si b) corporalis puniatio non sit contra indolem societatis huius; si c) huiusmodi poenae corporales conducere possint ad finem quem potestas vindicativa in eadem societate intendit. Atqui evidens est α) Ecclesiam habere plenissimam potestatem puniendi: habet enim potestatem universalem ligandi subditos. Evidens est β) punitiones corporales non adversari indoli huius societatis, quae est Ecclesia: eatenus enim, ut volunt haeretici, adversaretur, quatenus Ecclesia est societas spiritualis; atqui turpis aequivocatio heic latet. Ecclesia enim spiritualis societas est et dicitur ratione *finis*, non ratione elementorum quibus constituitur et mediorum quibus utitur; unde ex eo sequitur quod finis poenae debet esse spiritualis, non quod ipsa poena debeat esse aliquid spirituale. Cum ergo Ecclesia societas sit hominum visibiliter ideoque sensibiliter et corporaliter adunatorum, media sensibilia et corporalia, quibus unitas et pax promovetur, quibus inordinationes et dissidia remouentur, sunt secundum indolem eius, et idcirco etiam poenae possunt esse quoque corporales. Evidens est γ) poenas corporales posse ad finem intentum a potestate vindicativa societatis huius, imo frequenter eas solas conducere. Finis enim proprius potestatis vindicativae est defensio societatis contra violatores ordinis; quae quidem defensio tum praeventiva est cum poenam lex minatur ut deterreantur homines ab ordine violando, tum executiva, cum poena infligitur. In societate vero, qualis est Ecclesia, cuius finis est institutio etiam privata uniuscuiusque, finis potestatis vindicativae (etsi non necessarius ut ea exerceatur) est emendatio quoque nocentis. Atqui violatores ordinis (nisi ex errore tantum id faciant) non ratione, qua non ducuntur, sed vi cohiberi possunt: quique ex amore sensibilium a iustitiae tramite deflectunt, per timorem sensibilium pariter malorum ad eundem tramitem reduci possunt. « Si enim (ait August. epist. 93<sup>a</sup> ad Vincentium n. 3) terrerentur et non docerentur, improba quasi dominatio videretur: sed rursus si docerentur, et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur... » qui (ut ait n. 4<sup>o</sup>)